

Kapsel 78 N3 [134]

Al.

EPISTOLA
PROPEMPTICA,
QUA
VIRUM

NOBLISSIMUM, AMPLISSIMUM NEC NON
DOCTISSIMUM

EUSTASIUM
FRIDERICUM
SCHÜTZE,

LYCEI, QUOD WERNIGERODÆ
FLORET, PER TRES ET VIGINTI ANNOS

RECTOREM OPTIME PROMERITUM,

CUM D. XXVIII Julii ANNO MDCCCXXXIII.

WERNIGERODÆ PUBLICE IN SOLEMNI PANE-
GRI VALE SUPREMUM DICERET,

ET AD MUNUS

PROFESSORIS & DIRECTORIS

GYMNASII REGII ALTENAVIENSIS

CAPESSENDUM ABIRET,

VENERATIONIS, GRATIQUE ANIMI TESTAN-
DI CAUSA

GRATULABUNDI PROSEQUUNTUR

PRIMÆ CLASSIS IN WERNIGERODANO ARTIUM
COLLEGIO AUDITORES.

WERNIGERODÆ, Ex Officina M. A. Struckii, Typogr. Aul.



Kapsel 78 N3 [134] AK.
X3037683



Nobilissime, doctissimeque Vir,
Fautor ac Præceptor omni pietatis ac reverentiæ
cultu prosequende,

Sic omnino vera fuit nuntia fama, quæ ante aliquot menses percrebuit, Tuorum in pubem litterariam meritum dignitatem ad boreales oras penetrasse, Teque a Potentissimo Danorum Rege ad instituendum dirigendumque Altenavienſe gymnaſium evocatum iri. Jam enim nutui divino obſequentem & ad migrationem ex noſtris finibus paratum Te videmus, videmus Te perſectum & ad iter accinctum. Quemadmodum vero omnes illi, quibus ſapiens juvenutis educatio curæ cordique eſt, Tuum ex noſtra urbe diſceſſum ægæ ferunt; ita hic Tuus abitus adeo noſtros conturbat animos, ut noſtri pene officii obliti eſſemus. Noſter dolor, quem de abitione Tua concepimus, ita juſtus eſt, ut graviffima reprehentione digni & ruſticitatis crimine inculcandi eſſemus, niſi publica teſtificatione Tui deſiderium ſignificaremus. Et proſecto, ſi qui forent, qui triſtitiâ noſtram culpandam cenſeant, eos egregii illius, quod inſtitutio in bonis litteris ſecumfert, plane ignaros eſſe oporteat. Nos itaque, Vir nobiliſſime, Te impolita proſus hac epiſtola compellare audemus, non quod hoc noſtro officio Te demereri poſſe credamus; ſed quod grati noſtri erga Te animi documentum velimus exſulare. Tanta enim Tuorum in nos meritum magnitudo eſt, ut ea digno præconio exornare immo tantum enumerare nos poſſe proſus deſperemus. Indubitatum divinæ in nos bonitatis argumentum eſt, quod diſciplinæ Tux traditi ſimus, Tuque præceptor deſideratiſſime, nobis incolumis ſervatus ſis. Quas enim animi dotes in comiſſiſſimo carmine Tuo ante dies non ita multos in doctore ſcholæſtico requiſiſti, illæ in Te conjunctæ fuerunt. Non tantum vividis coloribus Chriſtum ob oculos nobis pinxiſti, & unumquemque indefinenter ad amplectenda beneficia per Chriſtum nobis parata & oblata cohortatus eſ; ſed ante omnia laudato Tuo exemplo docuiſti, qua ratione in via ſanctimo-
niz,



nix, quæ ad æternam salutem ducit, possit incedere. Nunquam ex animo nostro excidere poterit, certe non debet, quanta animi intentione, quanto ardore ad castum *Dei* cultum, quemvis quotidie exstimulaveris & qualibet occasione necessitate emendationis vitæ monstraveris. Porro in præceptore publico exposcis, ut sit sufficienti doctrinarum copia instructus, ut possit fidei suæ commissis erudire in omni disciplina liberali & ducere ad interiora musarum penetralia. Quantum & in hac parte præstiteris, loquuntur tot luculentissimi testes & perdocti viri, qui ex disciplina Tua prodierunt & Te felicem formandæ juventutis doctorem esse commonstrarunt. In hoc autem negotio optimam semper pro circumspectione Tua viam elegisti, qua in re peccant multi, qui ignari rectæ methodi per compendia suos ducti iri per devia loca, per ambages tesquis & verpibus obitas eos ducunt. Quamvis vero in omni eruditionis genere tuos erudire cupide semper elaboraveris, tamen Tua semper cura fuit, ut doceremur quæ sunt honesta, utilia & profutura, idcirco sapius nobis inculcasti dictum illud: discendum est *non scholæ sed vitæ*. Quemadmodum igitur percelebrata illa Pharus, quæ noctu luminibus accessis lucem dedit iis, qui in illas oras navigabant; ita Tu, *Vir nobilissimus*, & voce & scriptis lucem adfulstisti iis, qui ingenii sui ratem, ut cum poetis loquamur, eruditionis pelago commiserunt. A diluculo ad crepusculum vespertinum, immo per noctis magnam partem sollicitus fuisti de nostris commodis promovendis & ita lumini similis fuisti, quod, dum aliis lucet, se ipsum paulatim consumit. Totam Te mancipasti scholæ nostræ utilitati, & tempus illud, quod alii scriptis suis crebro in publicum protrudendis impendant, nobis unice dedisti, ne dum alios & vicinos & peregrinos pasceres Tuos & quasi domesticos esurire passus sis. His quidem laboribus ita fatigatus es, ut ne respirare quidem libere poteris, tamen Tuus in nos omnes amor Te coëgit, ut Te totum nostris commodis destinaveris, nosque exinde, si volumus, præsentissimum uberrimumque fructum reportare poterimus. Ad munia præipientis in schola recte obeunda Tuò iudicio porro pertinet patientia. Quantopere hæc necessaria sit in ætium officinis dijudicabunt alii intelligentes hujus rei arbitri. Qui ludicra conamina lubricæ juventutis acerrima statim punitione & acerbitate contueretur, tenellos hos agnos terrificaret. Numquam Tu pertasus factus es, sed mansueta correctione deficientes a recto tramite in viam revocasti, desides excitasti & prudenti circumspectione quemque pro statu & conditione tractasti. Ingenia somnolenta a limine musarum non statim propulisti, ingenia felicia non statim extulisti, sed probe considerasti, an quisque nervos ingenii ad *Dei* gloriam intendar. Labores catenati quotidie exantlandi nunquam Te fregerunt, sed indefessus semper in opere summi celi terræque moderatoris fuisti. Perindulgentem itaque Te monfirasti, sed ita tamen, ut satisfaceres quarto doctoris scholastici officio, quod Tuò iudicio consistit in animi alacritate & robore. In hac parte eximiz Tur doctes peculiariter se se exeruerunt. Singularem adhibuisti prudentiam in laudandis bonis, objurgandis pravis, aut pœna, pro jure scholastico adsciendis. Aliis dijudicandum relinquimus, quantum laboris & molestiæ sit in dies singulos refractarios coercere, effrenibus frenum injicere, vitia eradicare, petulantes ad probitatem, socordes ad solertiam, ad sobrietatem luxuriantes revocare. Certe non segnem in his omnibus Te præbuisi. Imperterrito animo cum amantissimis Collegis semper summa ope nixus es, ut impietas & barbaries destruarur, virtus e diverso & honestas restituarur. Auxiliante igitur summo numine factum est, ut licet non omnes monitionibus locum dederint & penitentiam egerint, animamque habitaculum spiritui sancto concesserint, tamen scelera & enormia vitia a nostro cætu, quantum constat procul abfuerint. Quando denique a sedulo litteratore postulasti, ut in fundendis precibus sit exercitatus, Tu insigni exemplo Tuò præluxisti
nobis



nobis, atque sine intermissione pro salute tuorum discipulorum vota nuncupasti. *Deus* etiam, qui cumulatus facere potest, quam quæ pii rogant, preces Tuas non infructuosas esse fuit, effecitque, ut majora in dies incrementa in omni bono scholæ alumni sumferint, *Tuque* scholam in tanto flore, quanto nunquam antea fuit, perpexeris. Sic provida Dei manus *Tecum* semper fuit, *Tibi*que vires dedit, ut tam præclara & eximia efficere poteris. Nos qui Tuam sollicitiam, provisionem & laborem in provehenda utilitate scholæ hujus quam maxime experti sumus, veneramur Tua merita atque tantopere nos *Tibi* devinctos esse profite-mur, ut nemo magis. Tu enim nullum pro nobis laborem, curam, studium re-cusasti. Complures adhuc erant, quos citius deseret vita, quam Tuorum meri-torum recordationem ulla obscurabit oblivio. Desiderium Tui relinquis in patria, quæ *Te* ægre e sinu suo dimittit, & memoriam Tui fideliter conservabit. Nos vero *Tibi* ita obstrictos esse constitemur, ut nulla munera esse, quibus beneficia Tua in nos collata compensari possint credamus. Adquiescas igitur rogamus sincera & pia hac gratiarum actione, & precibus ad *Deum* remuneratorem pro Tua incolmitate duratura ardentissimis. Præpotens Dei numen curatis pre-ca-tionibus rogamus atque obsecramus, ut *Te*, *Vir nobilissime*, porro sospitet, & in omnibus actionibus & viis quæ gloriæ Dei & communi egregio mancipatæ sunt, servare & protegere velit. *Benignissimus Deus* sit comes in itinere, dux in via jubeatque ut felix sit ingressus Tuus in novum domicilium, fortunata mansio, & prospere omnia ce-lant, quæ suscipis in communem juventutis litterarum utilita-tem. Efficiat *misericors Deus* ut procedas ætate ad Nestoreos usque annos in ple-ra & perpetua satisfactione rerum omnium. Ipse autor omnis boni augeat Tua an mi co partis fortunæque bona & largiatur *Tibi* successus rerum ex voto lætissi-mos. Wernigeroda D. XXVIII. Julii. MDCCXXXVIII.



Kapsel 78 N3 [134]

Cl.

EPISTOLA
PROPEMPTICA,
QUA
VIRUM

1, AMPLISSIMUM NEC NON
DOCTISSIMUM

TASIIUM
DERICUM
HÜTZE,

QUOD WERNIGERODÆ

PER TRES ET VIGINTI ANNOS

SEMPER OPTIME PROMERITUM,

XXVIII Julii ANNO MDCCCXXXVIII.

IN PUBLICA IN SOLEMNI PANE-
LE SUPREMUM DICERET,

ET AD MUNUS

PROFESSORIS & DIRECTORIS

ACADEMIE REGII ALTENAVIENSIS

INSTITUTIONUM ABIRET,

IN HOC MUNIFICENTIA
SUIS, GRATIQUE ANIMI TESTAN-
DI CAUSA

GRATULABUNDI PROSEQUUNTUR

PRIMÆ CLASSIS IN WERNIGERODANO ARTIUM
COLLEGIO AUDITORES.

WERNIGERODÆ, Ex Officina M. A. Struckii, Typogr. Aul.



Kapsel 78 N3 [134] Ak.
X3037683

